



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CUBAOËNSIS**\* IN PHILIPPINIS NOVA CONDITUR DIOECESIS CUBAOËNSIS Quo satius provideretur spirituali bono atque regimini Christifidelium archidioecesis Manilensis, Venerabilis Frater Noster Iacobus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Sin, Archiepiscopus Metropolita eiusdem Sedis, audita Conferentia Episcoporum Catholicorum Philippinarum, ab hac Apostolica Sede petivit ut quodam seiuncto territorio a circumscriptione ecclesiastica sua nova dioecesis conderetur. Nos, praehabito faventi voto Venerabilis Fratris Antonii Franco, Archiepiscopi titulo Galleini et in memorata Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotam postulationem animarum saluti valde profuturam libenter accipiendam esse censemus. De plenitudine igitur Nostrae potestatis sequentia decernimus. Ab archidioecesi Manilensi separamus integrum territorium, prout praesens lege civili circumscribitur, partis urbis *Quezon City* quae exstat ad meridiem viarum patrio sermone nuncupatarum *Tandang Sora* et *Mactan*; atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim Cubaoënsem. Sic conditae Ecclesiae sedem episcopalem in urbe *Quezon City* ponimus, ibique situm paroeciale templum, Deo dicatum in honorem Immaculae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, ad gradum et dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus aliae in catholico orbe cathedrales aedes fruuntur. Praeterea dioecesim Cubaoënsem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Manilensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Manilensis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perficienda committimus praedicto Apostolico Nuntio vel, ipso a sede absente, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Philippinis, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito Congregationi pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis, cum primum fas erit, mittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodetricesimo mensis Iunii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

IOANNES B. card. RE

*Congr. pro Episcopis Praef.*

---

s.n.

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 12, pp. 804-805 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana

---

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana